

*Althithonans eque, qui retribuis bona queque,
 Accepta digna facie cum matre benigna,
 Quem dat eberhardus codicem, tibi sit quasi nardus,
 Pro quo post luctum seclī dona sibi fructum,
 Qui non marcescit senio, sed qui inde uirescit.
 Istud solamen michabel sibi conferat. Amen.*

Eberhardum Lunaelacensem fuisse monachum, e Coenobii Patrono Michaele liquet. Habes ibidem etiam: Anno Domini Millesimo Quadringentesimo destitutus est illustris dominus wenczeslaus Rex Bobemie a regno Romanorum per certos et approbatos articulos. Et Eleus est (nulla Friderici Brunsvic. mentione facta) Serenissimus princeps

ac dominus noster dominus Rudpertus olim comes Palatinus Reni Bavarie dux &c. In regem Romanorum et per dei nomen in Imperatorem promouendus In laudem et gloriam totius christianitatis.

In anterioris Thecae involucro non inuenta restant in Sec. XII. lacinia Carmina, quae ignarus, quo pertineant, hic offero:

*Addit sobrietas uulnus letale iacenti,
 Conjiciens silicem rupis de parte molarem.
 Hunc uexilliferę quoniam fors obtulit ictum
 Spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti,
 Casus agit saxum, medii spiramen ut oris
 Frangeret, et recauo misceret labra palato.
 Dentibus introrsum resolutis lingua reseclam
 Dilaniata gulam frustis cum sanguinis implet,
 Insolitis dapibus crudescit guttur et ossa
 Conliquefacta uorans reuomet, quas haufe — — —*

Certamen Virtutum et Vitiorum cani putem, quale Sec. XIV. sermone pedestri dedit in sua *Concordia Caritatis* a me *Vol. I. P. 3. col. 2634.* relata *Udabricus Abbas Campililiensis*, et versu leonino Anonymus, ut *ibid. P. 1. col. 406.*

CCCCXLIX.

R. 1984 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 106. f. per duas columnas bene scriptus, rubricis

enotatus, et olim *Domus Porte beate Marie virginis in Axpach prope Danubium Ord. carthusien.* complectitur: I. *Homiliarium Quadragesimale a Die Cinerum usque ad Coenam Domini*, in qua abrum-pitur. Homiliae omnes *Beati Remigii Ep.* nomen praeferunt, ad unicam fol. 40. *Super Missus est Angelus Gabriel &c.* abrasum est, et merito; Homilia enim illa, cujus initium: *Latent quidem divina mysteria &c.* deprompta est ex *Ambrosio in Lucam L. II. c. 1.* Jam vero

vero Homilia I. sic incipit: *Sicut in superioribus preceptis ita quoque circa ieiunii observationem ad perfecte fidei meritum nos dominus doctrine suae mandatis instruit &c.* Trium hic *Remigiorum* in mentem venire possit: *Episcoporum Rheimensis et Lugdunensis*, et *Autissiodorensis* Monachi. Duobus prioribus Homilias nemo dat. Tertius nec *Beatus*, nec *Episcopus* est, et alioquin Librariorum Titulis parva faepe fides. Commentaria illum in omnes Evangelistas scripsisse satis evincit *Historia liter. Franciae* T. VI. p. 109. quanquam in Bibliothecis delitescant. Facile igitur ex his Commentariis *Homiliae* nostrae depromi, doxologiaeque ad finem instrui potuere. Firmat hanc conjecturam ipsum, quod supra posui, initium; nam ad quaedam praecedentia adpellat. Incertitudinis tamen, in qua versamur, aliqua ratio esse possit modestia *Remigii Autissiodor.* qui, ut referunt, nomen suum nulli suorum Operum adscribi voluit. Atque fortassis inde est, quod in *Homiliario Coloniae* 1530. f. edito, quod ab *Alcuino* digestum dicitur, ad Homilias, quae e nostro Codice ibi habentur, nullus autor adfignetur. Sed heus tu! quomodo *Alcuinus* a. 804. mortuus *Remigii*, qui primum sub finem Sec. IX. scripsit, Homilias Collectioni suae inferere potuit? Non habeo, quod respondeam, nisi Homilias *Remigianas* ex iis esse, quas editioni *cit. Euch. Cervicornus* impressor noviter *adjectas* nusquam antea *impressas* ait. Quod si minus satis fa-

cit, rem in medio relinquam, ut jam *Vol. I. P. 1. col. 303.* circa *Commentarium in Evangelium Matthaei* feci, quem si quis cum praesentibus *Homiliis* contendere vellet, certiora fortassis extunderet. Illud solum non omittam, quasdam Homilias hic *Remigio* tributas in *Bedaes Quadragesimali* impressas legi.

II. *fol. 45.* sequuntur *Homiliae S. Gregorii Papae ad Populum* in II. *Libros* tributae, sed non eo ordine, quo se in edit. *Maur. Paris.* 1705. T. I. *col. 1434.* excipiunt. Praeterea prima Columna improbe exsecta, et folia inter 89. et 94. evulsa sunt.

CCCCL.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 264
Folior. 206. f. per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et, ut *fol. postremo* notatur, datus *Universitati* per *Executores Art. et Decret. Doctoris Magistri Augustini de Elbing*, qui ei a. 1470. Rector praefuit, a. 1484. sequentia complectitur: I. *Homiliarium Quadragesimale* porrectum a *Feria IV. Cinerum ad Coenam Domini*, ita tamen, ut *Homilia* a fine *tertia* ad *Dominicam Oculi*, postremae duae vero ad *Dom. Reminiscere*, five III. et II. *Quadragesimae* pertineant. Lectum est istud *Homiliarium* ex *Hieronymo*, *Maximo Taur. Leone M. Joh. Chrysostomo*, *Beda*, *Haymone Halberst. Augustino*, non tamen est *Alcuini*. Loca varia in marginibus subpleta sunt, et ad calcem minio